

Programma In Natalem Veri Messiae Dn. Nostri Jesu Christi : [P.P. Rostochii, sub sigillo Rectoratus nostri, 25. Dec. Anno 1614.]

Rostochi[i]: Pedanus, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73436346X>

Druck Freier  Zugang



R. U. Progr. 1614/a

2 E+

Programma
IN
NATALEM
VERI MESSIÆ
DN. NOSTRI
JESU CHRISTI.



*Simon Gabriel
Rosenovio
Sarch: Mexl.*

Rostochl
Typis JOACHIMI PEDANI,
Anno M. DC. XIV.

Authoris Symbolum.

INTRA VERBUM

ET SYMBOLA.

Carmine redditum, & strenæ
loco positum.

Sacrum intra Verbum, Sacra intra Symbo-
la, qui non

Immotus constat: varijs ruit ille procellis,

Doctrina vario jactatus turbine; donec

Incidat in fides, ceu naufraga cymba, chary-
bden.



RECTOR
Academiae Rostochiensis
JOANNES
ASSVERUS
Ampfingius Transisulanus.
Med. Doct. & Prof.



Errorem attonitum, superiori seculo, incussit compluribus Europæ populis, Dogma absolute prædestinationis: ejus præcipui inventores Zvinglius & Calvinus, Beza propagator fuit. Et quam execrabile dogma hoc, cœu immane monstrum quoddam, jam pridem jugulârit Germaniæ nostræ Hercules & Apollo Melanthon: resuscitatum tamen nuper & revocatum ab In-

feris fuit, per *Fratres Contre-remoustrantes*, quæ rudior & indoctior secta est Calvinistarum apud Batavos. Cùm quibus eque beluis dicam an pecudibus? virum doctissimum D. *Jacobum Arminium*, indefesso prælio, configere & dimicare oportuit ad necem usq;.

Est autem Dogmatis tam horrendi tamq; abominandi & blasphemæ hæc sententia & summa: *Deum jam inde ab æterno, ante facta mundi fundamenta, longè maximam hominum partem æternæ gehennæ inevitabiliter adundæ: reliquos verò æternæ vitæ necessariò accipiendos.*

pienda, destinasse: Cujus quidem eterni decreti causa efficiens unica sit Deū
nuda, mera & absoluta voluntas, mutari nescia: nullo neque improbita-
tis neque fidei, quod ad illud decernendum attinet, habito respectu.
Deinde inevitabilem fatalium causarum nexum statuerunt, quem auream catenam appellant (Beza arborem pinxit) eamq; bi-
membrem, quarum alteram oporteat necessario salvandos, alte-
ram verò inevitabiliter damnandos percurrere, Deo non solum
volente, verum etiam movente, concitante, impellente, cogente, dirigente:
donec utriq; tandem ad finem perveniant sibi destinatum. Ac
ne quis hæc carpere in animum inducat; duo peracutè dicam au-
perastutè commentum sunt vocabula, quibus nescio clypeisné ve-
rius an pampinis dogmatis hujus immanitatem contegere se pos-
se autumant, quando ajunt, omnia hæc fieri **J U S T E & A D
G L O R I A M D E I.**

Dogmatis hujus prorsus infandi incommoda si quis ad amu-
sim prosequi velit: hunc sanè magnum volumen contexere
oporteat. Verum enimverò nos ut ignivomum hoc Diaboli
tormentum à cervicibus nostris arceamus, aggerem illi objicie-
mus dulcissimarum promissionum verè universalium, quibus
æterna salus omnibus ubiq; hominibus offertur in Emanuele no-
stro **J E S U C H R I S T O**; cujus Natalem hodierno die cele-
bramus: qui in gravissima illa concione Matth. 11. quantà potuit
vocis contentione palàm exclamavit, *Venite ad me O M N E S qui
laboratis & onerati estis.* Atqui nemo usquam est Adamò satus, qui
non & laboret & oneratus sit quàm gravissimè. Quare nemo
etiam est mortalium qui non ad Emanuelem hunc venire jubea-
tur. Obscuro, cum hic mundi Salvator Apostolos suos amandans
in orbem universum, dicit, *Prædicate Evangelium O M N I C R E A-
T U R Æ*: Marc. 16. 15. an quisquam est homo qui ab hoc **O M N I S
C R E A T U R Æ** vocabulo exclusus meritò censeri debeat? Tum
illud etiam, quod Apostolus loquens de beneplacente Dei volun-
tate, inquit, *Velle Deum omnes homines salvos fieri:* 1. Tim. 2. 4.: quis
tandem non de omnibus hominum Individuis, sed de omnibus
solum hominum Generibus dictum concedat Calvinistis? Clam-
mat misericors ille $\Phi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi$ & Matth. 23. 37. *Jerusalem, Jerusalem
quoties V O L U I congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub
alas,*

clar, tu verò **NOLUISTI**: Et nos Bezae credemus? scribenti, hoc Christum voluisse non voluntate aeternâ, sed quatenus fuit circumcisions minister? O dogma horrendum juxta & blasphemum! quod necelsitate inductâ fatali, reverâ Deum ipsum causarum Condemnationis authorem constituit; ac proinde potestate privat mundum condemnandi! quodq; serias Dei ad pœnitentiam invitationes, promissiones, comminationes, exprobrationes, &c. vel ipsorum Diabolorum exponit ludibrio! O truculentam conscientiarum carnificinam! O *ἀβυσσος* & fundò carens desperationis châos, abyssum & barathrum! O omnis deniq; impietatis (diffracto pietatis & honestatis repagulo) viam expeditissimam! O lernam! ô sentinam, suis dignam authoribus! Contrâ Ecclesia Dei per universum terrarum orbem diffusa, die hodierno hymnis personat, & læta exultat in recens nato Salvatore; Salvatore inquam illo qui est *Agnus ille Dei tollens peccata Mundi*, Ioan. 1. 29. *Et qui est propitiatio non pro nostris solum peccatis, sed pro peccatis etiam totius Mundi*, 1. Ioan. 2. 2.

Exigit autem festum hoc natalitium suo jure à nobis tum omnibus tum singulis, ut promissiones de Messia jam inde ab initio Adamo, Abrahamo, Isaac, Iacobo, alijsq; patribus & Davidi factas gratâ mente repetamus. His deinde adjungamus dulcissimas dictarum promissionum tum repetitiones tum amplificationes, quæ passim in Psalmis & Prophetis occurrunt efficacissimarum consolationum plenissimæ. Tertio Evangelistarum & Apostolorum suam de Christo doctrinam Prophetarum oraculis passim stabilientium allegationes atq; applicationes cum Berensibus Act. 17. scrutemur: ut ex unanimi utriusq; testamenti consensu in verâ Christi fide profus confirmemur. Cujus quidem exercitationis juvat obiter exemplum ob oculos ponere.

Promissio de Semine Mulieris caput Serpentis contrituro perscripta est Gen. 3. 15. Esa. 7. 14. Hujus promissionis Impletio habetur Matth. 1. 16. 22. Luc. 1. 27. 42. Luc. 2. 7. Et Luc. 1. 43. Ioan. 2. 3. Act. 1. 14. Item Gal. 4. 4. Heb. 2. 11. 14. 17. Deinde Promissio patriarchis & patribus facta atq; identidem repetita extat Genes. 12. 13. Genes. 18. 18. Genes. 22. 18. Genes. 26. 4. Genes. 28. 14. Num. 24. 17. Genes. 49. 10. Ier. 33. 14. Mich. 5. 1. 2. Huic promissioni respondens

Spodens Impletio videatur Matth. 1. 7. Luc. 1. 73. Luc. 3. 34. Act. 3. 25. 26. Gal. 3. 14. Item Matth. 1. 2. Luc. 3. 34. Rom. 9. 5. Et Matth. 1. 2. Luc. 3. 30. Matth. 2. 4. 5. Hebr. 7. 14. Apocal. 5. 5. Deniq; Promissio Davidi tum facta tum repetita legitur 2. Sam. 7. 12. & 1. Paral. 17. 11. Psal. 89. 4. 5. Psal. 132. 11. Esa. 9. 5. 6. Esa. 11. 1. Jer. 23. 5. Jer. 33. 15. Impletio hujus promissionis occurrit Matth. 1. 1. Luc. 1. 32. Luc. 3. 31. Ioan. 7. 42. Act. 2. 29. 30. Act. 13. 23. Rom. 1. 3. Rom. 15. 12. Item 2. Tim. 2. 8. Apocal. 5. 5. Apocal. 22. 16.

Quartò illud etiam cum Ecclesiã agamus, ut locos personarum, Logicis appellatos, de Christo diligenter notemus: quibus, adversum Judæos, duræ cervicis homines, fortiter evincamus, nostrum, quem profitemur, JESUM CHRISTUM, Mariæ filium, esse Messiam illum quondam patribus promissum. Huc imprimis pertinet diligens notatio temporis, quo natum fuisse Christum Evangelistæ scribunt, nempe tempore Cæsaris Augusti, cum primò describeretur universus orbis, Syriæ præside existente Cyreno. Quo equidem argumento ceu digito commonstrant, impletum jam fuisse vaticinium patriarchæ Iacobi Genes. 49. 10. nimirum sceptro de Iudâ ablato, justum jam tempus fuisse nascendi Messia. Deinde locum Nativitatis indicant fuisse Bethlehem, quod & ipsum futurum prædixerat propheta Micheas 5. 1. Tertiò parentes commemorant, Iosephum de domo & familiâ David cum Mariâ sibi desponsata uxore; innuentes jam completam fuisse promissionem Davidi de Messia factam. Quartò nomen Messia & rationem impositionis ejusdem diligenter notant: nempe idè appellatum fuisse JESUM; quia salvaturus esset populum suum à peccatis eorum Matth. 1. 21. Quintò non leve pondus habet, quod Nazarethi Galilæorum educatum indicent: Hoc enim à prophetis etiam fuerat prædictum, fore, ut puer hic Nazarenus vocaretur. Matth. 2. 23. Sextò ab Effectis & rebus gestis maximè demonstrant JESUM Mariæ filium esse Messiam. Quo sanè argumento ipse Salvator adversarios suos sæpe medios tenuit; ut videre est Ioan. 5. 20. 36. Ioan. 10. 25. 32. 37. 38. Ioan. 14. 11. Ioan. 15. 24. Hoc eodè argumento demonstratum fuit discipulis Ioannis Matth. 11. 3. JESUM reverà esse Messiam. Etenim interrogatus Salvator, *Tu nō es, qui venturus es, an alius?*

alium expectemus? Ite, inquit, nunciate Ioanni quæ vidistis & audivistis,
 Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui re-
 surgunt, pauperes euangelizantur, &c. digito commonstrans loca Esa.
 35. 5. & Esa. 61. 1. Huc refero Christi fugam in Ægyptum, atq;
 inde ad suos reditum; ejusdemq; tum Circumcisionem tum Ba-
 ptismum, quibus utriusq; se fœderis mediatorem ostendit: Di-
 sputationem ejusdem adhuc pueri cum Scribis & Doctoribus in
 templo: Tentationem in deserto: Pompam regiam quâ in ur-
 bem Ierosolymam advenit acclamante populo: Institutionem
 in *ἁγίασμα*, & si quid his præterea jungendum videatur.
 Septimo loco sunt Cognata. Quò in primis Ioannem Bapti-
 stam refero unâ cum alijs huc pertinentibus, qualia quidem sunt:
 Annunciatio per Angelum tum Elisabethæ tum Mariæ facta;
 Obmutescencia Zachariæ: Legatio Iudæorum ad Ioannem
 Matth. 11. Spiritus S. in specie columbæ & vox Patris in Baptismo
 super filium demissa: Testimonium Ioannis &c. Octavo sunt
 Adversa & Pugnancia. quò potissimum spectat tota Passionis hi-
 storia, in quâ memorabilis est Lucta illa Christi in horto precan-
 tis & guttatim stillantem sanguinem sudantis; Fuga discipulo-
 rum: Abnegatio Petri: Divisio vestimentorum & super vestem
 missio sortis; aliaq; multa cum Psalmis & Esa. cap. 53. ad amulsi-
 congruentia: Præterea ipsum mortis genus Ioan. 3. 14. Gal. 3. 12.
 Philip. 2. 8. Col. 2. 14. 15. Nonò sunt Connexa mortis. Clamor
 ille Christi *Deus meus* &c. Gustatio fellis cum aceto; ossa non
 comminuta; apertio lateris: effluxio sanguinis & aquæ; Latro-
 nis conversio: obscuratio Solis miraculosa: tenebræ magnæ:
 scissum templi velum: apertio sepulchrorum: resurrectio mor-
 tuorum & ipsorum militum Romanorum testimonium. De-
 cimò sunt Consequencia Mortis, ut: Sepultura; Resurrectio; Ad-
 scensio in cœlum; Sessio ad dextram Patris; Missio Paracleti; &
 demum Reditus ad iudicium.

Omnia quæ dixi præse & strictim, ea meditemur & rume-
 mur explicatiùs circa recens natum Salvatorem; tum ut in fide
 nostra de Christo confirmemur, tum ut adversus conscientiam
 peccati è dulcissimis illis de Messia promissionibus consolatio-
 nem hauriamus. Quæ cum toto hoc festo in sacris concio-
 nibus

nibus à Dn. Theologis ubertim explicabuntur: moneo studiosos Adolescentes, ut frequentes dictis concionibus sacris intersint; recens nato Salvatori homagium (ut vocant) præstent; ei adventum in carne pijs hymnis gratulentur; tantum Dei beneficium grati agnoscant, pariterq; & cognoscant. Cumq; vana & hypocritica sit omnis ea in Deum pietas, quam non comitatur erga proximum charitas: illud pariter admoneo, ut pacem tum inter se, tum cum alijs omnibus hujus civitatis incolis & civibus colant, nec tranquillitatem disturbent publicam. Quod si qui fortè dyscoli contra faxint, malintq; diebus hisce festis in œnopolijs & tabernis, quam in Ecclesiâ conspici; in plateis compitatum grassationibus nocturnis perstreperere, impijsq; & Cyclopicis boatibus debacchari, quam diurnis in æde sacrâ hymnis venienti Christo acclamare & applaudere: adversum hos ipsam nos Relegationis pœnam stricturos, de sententiâ R. Concilij serio minamur. P. P. Rostochij, sub sigillo Rectoratus nostri, 25. Dec. Anno 1614.



alium expectemus? Ite, inquit, nunciate Ioan
 Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur
 surgunt, pauperes euangelizantur, &c. digito e
 35. 5. & Esa. 61. 1. Huc refero Christi fu
 inde ad saos reditum; ejusdemq; tum C
 ptismum, quibus utriusq; se fœderis me
 sputationem ejusdem adhuc pueri cum S
 templo: Tentationem in deserto: Pon
 hem Ierosolymam advenit arclamante p
 τῆς ἁραρισίας, & si quid his præterea
 Septimo loco sunt Cognata. Quò in
 istam refero unà cum alijs huc pertinenti
 Annunciatio per Angelum tum Elisab
 Obmutescencia Zachariæ: Legatio I
 Matth. 11. Spiritus S. in specie columbæ &
 super filium demissa: Testimonium Ioan
 Adversa & Pugnancia. quò potissimum f
 storia, in quâ memorabilis est Lucta illa
 tis & guttatim stillantem sanguinem su
 rum: Abnegatio Petri: Divisio vestime
 missio sortis; aliq; multa cum Psalmis d
 congruentia: Præterea ipsum mortis ge
 Philip. 2. 8. Col. 2. 14. 15. Nonò sunt C
 ille Christi *Deus meus* &c. Gustatio fellis
 comminuta; apertio lateris: effluxio sa
 nis conversio: obscuratio Solis miracu
 scissum templi velum: apertio sepulchr
 tuorum & ipsorum militum Romanor
 cimò sunt Consequentia Mortis, ut: Sep
 scensio in coelum; Sessio ad dextram Pa
 demum Reditus ad iudicium.

Omnia quæ dixi præse & stricim,
 mur explicatiùs circa recens natum Salv
 nostra de Christo confirmemur, tum ut
 peccati è dulcissimis illis de Messia pro
 nem hauriamus. Quæ cum toto ho

Audivisti,
 mortui re
 loca Esa.
 tum, atq;
 tum Ba
 ndit: Di
 oribus in
 quâ in ur
 utionem
 videatur.
 em Bapti
 dem sunt:
 riæ facta;
 Ioannem
 Baptismo
 avò sunt
 sionis hi
 to precan
 discipulo
 ber vestem
 d amussim
 4. Gal. 3. 12.
 5. Clamor
 ossa non
 ra; Latro
 æ magnæ:
 edio mor
 tum. De
 rectio; Ad
 aracteti; &
 & rumine
 ut in fide
 scientiam
 consolatio
 nis concio
 nibus

